MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80667-2

AUTHOR:

ZETZSCHE, IOANN G.

TITLE:

QUAESTIONUM THEOCRITEARUM

PLACE:

ALTENBURGI

DATE:

1857

Master Negative #

92-80667-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B37481          Acquisitions     NYCG-NEH
FIN ID NYCG92-B37481 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B37481            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:06-08-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:       UD:06-08-92
  CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:s       PD:1857/          REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:        COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Zetzsche, Ioann Gottlob.
  245 10  Quaestionum Theocritearum‡h[microform].‡bParticula quarta, qua agitur
       de idyll. XVIII. 29.-31.‡cScripsit Ioannes Gottlob Zetzsche.
  260     Altenburgi,‡bEx Typographeo Aulico,‡c1857.
  300     12 p.
  LDG     ORIG
  QD      06-08-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35MM　　REDUCTION RATIO: 11x


IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/19/92　　INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 2

QUAESTIONUM THEOCRITEARUM

PARTICULA QUARTA,

QUA AGITUR DE IDYLL. XVIII. 29.–31.

SCRIPSIT

IOANNES GOTTLOB ZETZSCHE

PROFESSOR.

ALTENBURGI

EX TYPOGRAPHEO AULICO.

MDCCCLVII.

Quae huic libello proposita est quaestio, quia arctissime cohaeret cum ea, quae est de ejusdem carminis versibus 26.—28., non potest non ab iis proficisci, quae nuper*) de vexatissimo illo ac paene desperato loco a nobis disputata sunt ea quidem ratione, ut Theocritum a virorum doctorum suspicionibus defenderemus doceremusque omnes, quotquot prolatae essent, emendationes a vero aberrare neque salutis spem ullam esse, nisi Aurorae (ἀώς), quae librariorum sive culpa sive errore irrepsisset, fallaci lumine exstincto. Hanc autem unam esse rationem, qua locus ille corruptus restitui possit, ita mihi etiam nunc persuasum est, ut nec Meinekii neque Ahrensii dissentientium me moveat auctoritas, quam gravissimam alias apud me esse libenter confiteor. Qui viri doctissimi deque Theocriti carminibus emendandis et fere instaurandis ita meriti, ut facile nostris temporibus palma iis ab omnibus detur, quum in sexcentis aliis locis depravatis, quid verum, quid e poëtae mente atque consilio aptum, quid ad linguae leges et loquendi consuetudinem esset accommodatum, certissime praeceperint, in his versibus expediendis et restituendis adeo per incerta feruntur ac dubia, ut in diversissimas jam delapsos eos videas sententias. Meinekius enim de suis thesauris noluit quidquam depromere, sed totum se dedit aliis et, quum in secunda, quam paravit, Theocriteorum editione assentiretur**) Lachmanno laudaretque triplicem Helenae

*) Quaestt. Theocritt. Particula III. Altenb. 1851.
**) vid. Quaestt. Theocritt. Part. III. p. 4 et 5. et 7.

cum aurora, cum nocte (!), cum vere denique comparationem, in tertia, quae nuperrime prodiit, repudiata Lachmanni sententia, *quippe qua comparationum concinnitas tollatur*, Hermannum secutus est ita, ut, quod tertium ille conjecerat,

πότνι᾽ ἅτ᾽ ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον,
ἀώς, ἢ ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ᾽ ἐν ἁμῖν.

suum facere et in locum vulgatae lectionis substituere non dubitaret. Non igitur jam in his Meinekii, sed Hermanni prostat emendatio, de qua quum alio loco*) egerimus, nolumus hic ea repetere, sed ad Ahrensium pervenimus, qui restituisse tandem depravata sibi visus est hoc modo:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον,
πότνια νυκτὶ σελάνα, ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
*ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διαφαίνετ᾽ ἐν ἁμίν.***)

Quae ratio quia singularis est et propria Ahrensii neque quidquam cum aliis commune habet, accuratius paulo de ea quaerendum esse videtur. Ac primum quidem mireris profecto eum, qui Hermanni olim conjecturam ingeniosam certe et cum ea sententia, quam inesse vulgo in verbis putant, optime congruentem improbavisset novamque ipse quamvis alienam ab Helenae comparatione commendavisset***) imprimis eam ob causam, quod violentius illa, haec lenius esset mutata, paucis annis praeterlapsis illa librorum manuscriptorum verecundia adeo se exuisse, ut hodie paene nullam eorum fidem esse arbitretur atque ejectis, quas omnes codices tuentur, vocibus *ἅτε λευκόν* suppositoque, cujus vix unam literam illi suppedidant, vocabulo *σελάνα* non dubitet haec jam pro veris vendere: *π ό τ ν ι α ν υ κ τ ὶ σ ε λ ά ν α, ἔ α ρ* etc.

---

*) Quaestt. Theocritt. Part. III. p. 5. et 7.

**) Haec primum prolata sunt in majore Bucolicorum editione, cujus Tom. I. prodiit Lips. 1855, repetita in minore edit. II. Lips. 1856.

***) *Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον*
πότνι᾽, ἅ ν υ ξ έ τ ε λ ε υ κ ὸ ν ἔαρ χριμῶνος ἀνέντος·
ωδε — .
vid. Ahrens. Emendatt. Theocritt. p. 25.

Sed mittamus mutandi violentiam; in desperatis enim locis quid sibi non indulserunt critici? Et habet fortasse Ahrensius, quo suam audaciam probare nobis velit; de qua re tum demum erit judicium, quum major Bucolicorum editio absoluta earumque lectionum, quas exhibuit, plenior ratio reddita fuerit. Graviorem autem de Ahrensii emendatione dubitationem moveri necesse est, quum quaeratur de aequali illa partium proportione, ad quam cum alia Theocriti carmina, tum hanc Helenae laudationem descriptam esse et ab aliis*) jam dudum est observatum, et a nobis nuper copiosius demonstratum.**) Huic enim concinnitatis legi, quae non solum ad strophas pari versuum numero circumscribendas pertinet, sed latius patens etiam in singulis cujusque strophae membris aequabiliter constituendis sententiisque ad similitudinem quandam conformandis vim suam exercet, haec duo repugnant, alterum, quod, quum reliqua substantiva, in quibus comparandi quasi lumina inesse voluit poëta, habeant appositum, quo praestantiae et pulchritudinis notio aliqua exprimatur, ver (*ἔαρ*) solum relinquitur epitheto suo *λευκόν* nudatum***); alterum, quod, quum insequens comparatio (vss. 29.—30.) per duas tantum imagines decurrat, e trium rerum similitudine efficitur Helenae praestantia in antecedentibus versibus (26.—27.) luna (*σελάνα*) interposita. Quod si quis fortasse velit ita probare, ut dicat etiam in altera comparatione tria enumerari, ad quorum similitudinem Helenae laudes celebrentur, *μέγα λᾷον, κυπάρισσος, Θεσσαλὸς ἵππος*, videat, ne demonstratio fiat ex re demonstranda; nam hoc ipsum *λᾷον*, quod Ahrensius recepit, non magis quam *σελάνα* a Theocrito profectum est, sed ex Eichstadii ingenio ortum, ut posthac videbimus.

V e r b a igitur, quae Ahreusius exhibuit, neque ad codicum scripturam probabilia neque ad membrorum aequalitatem apta esse videntur; ad s e n s u m autem quod attinet, ne tanta quidem vi verbis illata difficultates omnes remotas esse neque eam effictam videmus comparationem, quae integra sit et apta ad rem ac tanto poëta non indigna. Quis enim non intelligit comparationem, quae sic instituatur: *ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον — ὧδε καὶ ἁ χρυσέα*

---

*) vid. Hermann. de arte poës. bucol. — Eichstad. et Meinek. ad h. l.

**) Quaestt. Theocritt. III. p. 10 seqq.

***) Male habet etiam hoc, quod tres comparationes juxta se positae carent omni copulativarum particularum vinculo: *ἀὼς ἀντέλλοισα — πότνια νυκτὶ σελάνα — ἔαρ χειμᾶνος ἀνέντος.*

Ἑλένα διαφαίνετ᾽ *) *ἐν ἁμίν*, mutilam esse et decurtatam, nisi addatur, quod respondeat verbis *ἐν ἁμίν* et significet eam rem, quae, si cum Aurora conferatur, pulchritudine sit illa inferior? Aut quis non videt hanc ipsam Aurorae imaginem, quae sola per se jam parum apta ad illustrandam formositatis speciem ac molesta fuit**), si cum Luna jungatur per noctem splendente, molestiorem multo ac prorsus otiosam esse? Nec tamen silentio praetereundum est hanc Ahrensii conjecturam una ex parte reliquis, quotquot de hoc loco prolatae sunt, praestare et ad verum prope accedere. Nam quum conjectando incidisset in haec: *πότνια νυκτὶ σελάνα, ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος* sc. *διέφανε καλὸν πρόσωπον*, haud ita multum profecto vir doctissimus aberat a vera comparationis imagine; sed quominus attingeret eam et accurate exprimeret, cum alia obstabant, tum hoc, quod Aurorae illecebris captus ita tenebatur, ut expedire se ex his vinculis et effugere non posset.

Sed quid plura? Jam enim disputatio nostra rediit eo, unde exorsa est, intelligiturque, quod diximus, morbo, quo illorum versuum et sensus et verba laborant, non posse quemquam mederi, nisi Auroram ex iis expulerit. Ad quam rem, postquam alii alia frustra tentaverunt, nos quidem in Quaestt. Theocritt. Particula III. ita sumus aggressi, ut pro *ἀώς*, quod ex duabus vocibus inepte conglutinatum videtur, scriberemus *ἅ, ὡς****), — reliqua autem omnia, quia nihil jam difficultatis habebant, intacta relinqueremus comparatione hunc in modum constituta: *Sicut stellae per noctem fulgentes superant omnia splendore, sicut hieme soluta ver vincit omnia jucunditate, ita Helena inter nos elucebat pulchritudine ac venustate.* Quod quam recte et quo successu fecerimus, penes alios erit judicium. Interim nosmet ipsi nostrae interpretationi eam sumimus vindicamusque laudem, quod non solum tenebras, quibus versus 26.—28. tamdiu oppressi fuerunt, ne una quidem litera mutata dissipavisse tandem videtur, sed etiam sequentia luce sua collustrat.

---

*) *διαφαίνετ᾽* Abrens. ex cod. s. M. pro vulgato *διεφαίνετ᾽*, de quo vid. Quaestt. Theocritt. III. p. 26.

**) vid. Quaestt. Theocritt. III. p. 9.

***) Iis, quibus hunc pronominis relativï usum (*ἅ* i. e. *Ἑλένα — ὧδε καὶ ἁ Ἑλένα* etc.) probare studui, jam possum addere locum Ciceronis: Illi, qui erant cum Clodio —, caedere incipiunt *ejus* (Milonis) *servos; ex quibus qui* animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim — fecerunt id *servi Milonis*, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset. (Orat. pro Mil. Cap. X. §. 29.)

Pergit enim ad novas Helenae laudes Theocritus vss. 29.—31. ita:

Πιείρᾳ μεγάλα ἅτ᾽ ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,
ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Haec verba, quae omnes fere iique optimi codices exhibent non alia lectionis varietate, quam quae ex librariorum vel inscitia vel negligentia videatur orta esse, quamquam neque ad sensum obscura neque ad structuram dura aut contorta nec denique ad poëtarum usum loquendi insolentia putari possunt, tamen haud minus fere, quam quae antecedunt, criticorum suspicionibus impugnata sunt et adeo in diversum traxerunt virorum doctorum sententias, ut, quum aliis sana omnia et integra viderentur, alii nihil non mutandum potius, quam vulgatam librorum lectionem tolerandam esse censerent. Totius enim comparationis indole non satis perspecta quum verbis *ἢ κάπῳ κυπάρισσος* novam inferri imaginem existimarent, displiceretque *cupressus arvi decus*, mendum latere in vs. 29. putantes variis modis in eo elaboraverunt, ut investigarent vocabulum, quod cum verbo *ἀνέδραμε* conjunctum a *πιείρᾳ ἀρούρᾳ* non abhorreret. Qua in re quum non certam haberent, quam sequerentur, viam ac rationem, mirum non est neque de causis ac sede mali, cui mederi vellent, neque de remediis convenisse quidquam inter eos et diversissima quaeque in medium esse prolata. Nolo equidem in singulis iis enumerandis commorari, praesertim quum pleraque jamdudum abjecta sint et citius fere, quam in lucem prodierunt, sepulta jaceant. Qui cognoscere ea accuratius velit, Fr. Jacobsii, Kiesslingii, aliorum adeat editiones. Ad genera sua si revocaveris, celerius ea licebit percensere et paucis profligare.

Quaecunque igitur proposita sunt, ad duo fere redeunt. Alteri enim animis ad verbum *ἀνατρέχειν* magis attentis, quod de arboribus in altum surgentibus usurpari recte observassent, *arboris* alicujus nomen interserendum esse putaverunt idque ex una alterave voce quamvis repugnantibus codicibus elicere conati sunt. Qua ratione quum effinxissent

αἴγειρος *) *μεγάλα ἅτ᾽ ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ* etc.

et

πιείρᾳ μελία **) *ἅτ᾽ ἀνέδραμε κ. ἀρ·*

et

πιείρᾳ ἐλάτα ***) *ἅτ᾽ ἀνέδραμε κ. ἀρ·*

---

*) Schuetzius, probante Huschkio. vid. Eichstad. Quaestt. phill. Spec. p. 30.

) Briggsius. *) Wordsworthius.

et quodvis arborum genus aliud*) advocassent, non tamen potuerunt neque scrupulum iis eximere, qui arvum (*ἄρουραν*) nihil nisi frumentum et vinum gignere putarent**), neque satisfacere iis, qui propter orationis concinnita- tem, sicut in priore comparatione vss. 26.—28., ita in hac quoque duabus tantum imaginibus Helenae praestantiam a Theocrito illustratam esse per- suasum haberent***). Cui argumento accedit haud levius hoc, quod illa ratione et *κυπάρισσος* epitheto suo nudatur, et ex similibus rebus, quae ad comparandum adhibentur, in altero membro una tantum (*Θεσσαλὸς ἵππος*), in altero per ingratam quandam abundantiam duae ejusdem generis (*κυπά- ρισσος* et *αἴγειρος*) proferuntur, id quod notatum jam supra a nobis est in Ahrensii priorum versuum emendatione ((*ἀώς* — *σελάνα*).

Alterum genus est eorum, qui vocem *ἀρούρᾳ* prae ceteris respicientes quaesiverunt, quod cum illa apte posset componi, protuleruntque deinceps, quae- cunque in arvo deprehendi solent, *ὄγμος*****) et *ὄχμος*†) et **λαῖον** s. **λᾶον**††) et, ne quidquam abesset, **ἄμπελος** quoque†††). Qui omnes, quum arvo quaere- rent decus, vereor, ne parum memores fuerint, quid deceat Helenam. Ac de ceteris quidem nihil dico; quibus post alia, quae vel in gravissimis rebus peccaverunt, facile hoc condonabitur, quod inepta comparatione pulchritudinis speciem deformaverunt. Ab Eichstadio autem et, qui eum secutus est, Ahren- sio, gnaris alioquin et subtilibus harum rerum arbitris, non possum disce- dere, quin paucis demonstrem, quam non convenienter decoravisse videan- tur Helenam cum *magna segete*††††) comparantes. **Pulchri** enim imago

---

*) Graefium velut ludendo sex alia arborum nomina ad versus numeros accommodata exhibuisse auctor est Fr. Jacobsius ad h. l.

**) cf. Ahrens. Emendatt. p. 25.

***) vid. Ziegler. et Meinck. ad h. l.

****) *ὄγμος*, sulcus, pro *κόσμος* a Calliergo scriptum in plerasque post illum editiones transiit.

†) *ὄχμος*, Musgrav.

††) Eichstadius correxit: *πιείρᾳ μέγα λαῖον ἅτ᾽ ἔδραμε κόσμος ἀρούρᾳ* etc., quae Ahrensius (cf. Emendatt. p. 25.) mutata paulisper nuper ita edidit: *πιείρᾳ μέγα λᾶον ἀνέδραμε* etc.

†††) *ἄμπελος*, Dahlius; ipse tamen postea rejecit. Vid. Fr. Jacobs. nott.

††††) Eichstadius *μέγα λαῖον* interpretatur segetem eam, *quae per latum tractum porriga- tur* eamque ob causam recte scripsit *ἔδραμε* pro *ἀνέδραμε*; Ahrensius cogitavisse videtur de *segete alta, in altum surgente*, eique melius convenit *ἀνέδραμε*. Sed neutrum est aptum ad eam Helenae praestantiam, de qua h. l. agitur, laudandam.

illa, quae in laeta segete inesse plerumque putatur, quum non spectet ad ipsam culmorum spicarumve faciem, sed ad foecunditatis cogitationem et utili- tatis spem, quae voluptate animos nostros perfundunt, ipsa jam per se non ea est, quae in puellam formosam apte transferatur; ubi autem pulchritudi- nis aliquam effigiem velis non totam exprimere, sed per partes descriptam illustrare comparando, ibi non modo ingrata ac non apta, sed fere nulla esse videtur imago a segete ducta. Nullum enim in ea deprehenditur singulare decus, nulla propria laus, qua pulchram sive rem sive personam ornare possis*).

Iam vero dixerit fortasse aliquis liberiorem esse poëtis comparandi ra- tionem et nostro loco non in ipsius Helenae et segetis similitudîne quaeren- dam comparationis vim, sed *in eo, quod dicatur utraque decori esse* (*κόσμος εἶναι*) *ei rei, ad quam accedat.* Non magis enim equo Helenam quam segeti esse similem, nec tamen in eo quemquam offendere. Speciosius haec dici, quam verius, liceat exemplo demonstrare. Apud Virgilium legimus *gregibus tauros esse decori* (Ecl. V. 33.); attamen ineptum foret, si quis diceret: *ἅτε ἀγέλῃ ταῦρος, ὧδε καὶ ἁ Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος ἐστίν.* Nam ne in talibus quidem comparationibus licet componere res, nisi quae aliqua certe ex parte similes sint. Cum equo cur comparetur Helena, apparet, saepe enim cursu cum aequalibus certabat (cf. vs. 22. seqq.); ecquis autem indicabit, quae cum segete ei intercedat similitudo?

---

*) His non repugnat Virgilii illud, quo Eichstadius ad correctionem suam stabilien- dam utitur, Eclog. V. 32. seqq.

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, *segetes ut pinguibus arvis*,
Tu decus omne tuis. —

His enim imaginibus Virgilius non eximiam Dalphnidis pulchritudinem voluit insignire, sed dulcissimam amicitiae et amoris societatem, qua Daphnis cum suis (pastoribus) junctus fuerit, summumque mortui ejus desiderium, eoque consilio e pastorali rusticaque vita (cf. *Gebauer:* de — Theocriti carminibus — a Virgilio adumbratis. Lips. 1856. pag. 14.) elegit eas res, *quae consociatae cum aliis ornent eas et laetiores reddant, divulsae ab iis decus simul auferant et tristitia afficiant.* Deplorans igitur Daphnidis interitum Mopsus „*Quamdiu*, in- quit, *vivus inter nos versabaris, o Daphni, laeta nobis omnia tuo consortio erant et felicia, tu de- liciae nostrae, tu decus omne nobis*; *jam mortuo te tristia sunt omnia et luctus plena, ut vel Dii nolint amplius apud nos commorari.*“ Hanc loci esse sententiam apertissime sequentia decla- rant. Pergit enim Mopsus:

— — — — Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

Quae quum ita sint, scite Theocritus et eleganter, ut omni laude ornaret Helenam, sicut splendorem a stellis et venustatem a vere, ita *a cupresso proceritatem* et *ab equo celeritatem* sumsit, a segetis autem comparatione, quae nihil ei addere decoris posset, non modo abstinuit ipse, sed ne reliquit quidem, ubi a correctoribus suis interseri commode possit. Nam ne versus perturbetur, recidi reliqua necesse est. Eichstadius igitur *ἔδραμε* scripsit pro *ἀνέδραμε*, Ahrensius autem particula *ἅτε* potius ejecta *ἀνέδραμε* retinendum esse censuit. Qua ratione quum syllabas servarent, vulnus uterque inflixit orationi, uti fieri solet, quum sanare sana conamur.

Nam — ut tandem nostram de hoc loco sententiam declaremus — integra sunt et incorrupta verba, quae vulgo leguntur, neque alia egent nisi interpretis ope, non tam ea, quae in singulorum verborum vel significatione illustranda vel usu comprobando vel structura explicanda cernatur, quam qua sententiarum vis ac ratio aperiatur eorumque, quae poëtae animo obversata fuerint, accurata et vera exprimatur imago. Etenim qui vulgatae, quam dicunt, lectionis patrocinium susceperunt, eos omnes, etsi in singulis verbis interpretandis et defendendis bene versati essent, tamen, quum ad conformandam totius loci effigiem accederent, lapsos esse videmus et a vero aberravisse. Exemplo sit unus instar omnium Kiesslingius, qui post eximiam Heinrichii*) curam in his versibus adhibitam auctore Heynio loci nostri speciem protulit hanc**): „*Sicut magna cupressus* eminet, *quae ornat pingue arvum aut hortum, aut sicut Thessalus equus* eminet, *currum ornans: sic* eminet *pulchra Helena, quae est Spartae decus.*“ Quae loci descriptio quamvis accurate ad verba videatur expressa, tamen, quia singularum imaginum lumina fere exstinguit totiusque comparationis vim infirmat ac diluit, neque ad Helenam convenienter laudandam idonea nec, quod bona venia Kiesslingii dixerim, poëtica admodum et digna Theocrito esse videtur. Haec enim ipsa eminentiae laus, quae Helenae tribuitur, quum non habeat, quo referatur, levis est ac dubia nec perspicitur, cur a cupresso potius et equo, quam ab alia quavis re poëta eam desumserit; illa autem, quae tanta vi tantaque elegantia dixit Theocritus, *κόσμος ἀρούρᾳ — ἅρματι κόσμος — Λακεδαίμονι κόσμος*, si quid ego in talibus sentio, jejuna sunt et frigida, si transferantur in haec: „*quae ornat pingue arvum — currum ornans — quae est Spartae decus.*“

*) Observatt. in Auctores vett. p. 74. seqq.
**) vid. annott. ad h. l. in edit. Theocr.

Circumspicientibus autem, qua via evitatis illorum erroribus ad plenam loci nostri intelligentiam perveniamus, ducem se nobis ipse Theocritus offert certissimum, qui qua ratione Helenam suam laudatam hoc idyllio voluerit, et versu 25. declaravit apertissime et notis quibusdam, quas orationi addidit, haud obscure significavit (vid. Quaestt. Theocritt. III. pag. 11. seqq.). Quae signa si recte sunt a nobis intellecta, Theocritus Helenae laudationem adornavit ita, ut eximiam ejus pulchritudinem non uno quasi obtutu contemplandam proponeret, sed per partes ad Homeri potissimum exemplum*) descriptam persequeretur atque oris et faciei nitorem ac venustatem (*εἶδος* s. *κάλλος*), corporis figuram gracilem et proceram (*μέγεθός τε φυήν τε*), operum conficiendorum artificium (*ἀγλαὰ ἔργ᾽ εἰδυῖαν*) deinceps celebraret adhibitis comparando imaginibus, quibus eas omnes virtutes in Helena summas esse ostenderet. Hae vero comparationes — id quod gravissimum est — non simplices sunt ac purae, quales Kiesslingius aliique protulerunt sed mixtae e binis atque ita temperatae, ut *Helenam comparatam cum reliquis puellis* declarent *omni pulchritudinis laude tantum eas superare, quantum alia quaedam res, eadem laude insignis, antecedat reliquas ejus generis omnes.*

Ad quam legem si versus 29.—31. exiguntur, primum quidem nemo non videt eos ita compositos esse, ut eximiam Helenae tribuant *corporis proceritatem et currendi celeritatem* (*μέγεθός τε φυήν τε*). Illam Theocritus cupressi imagine insignivit adpicta insuper magnitudinis nota verbis *μεγάλα — ἀνέδραμε*, hanc similitudine equi Thessalici celebravit in certaminibus curulibus spectati (cf. vss. 22.—23.). Deinde autem mixtae, quam diximus, comparationis ratio non potest non agnosci in his: *ὧδε καὶ ἁ — Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος*. Altera enim comparatio aperte indicatur particula *ὧδε*, altera paulo occultior est in verbis *Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος* sc. *ἐστίν*. Nam quum dubium non sit, quin voce *Λακεδαίμονι* non terra Laconica, sed *puellae Spartanae* significentur, puella autem, quae decori aliis esse dicatur, non possit iis non esse praestantior, nullo labore nullisque ambagibus efficitur, quam volumus, comparatio: *Helena Spartanis puellis omnibus est praestantior s. eminet inter eas***). Iam quum ad eaudem rationem conformata sint, quae antecedunt, *κυπάρισσος ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ ἢ κάπῳ* et *Θεσσαλὸς ἵππος ἅρματι* sc. *κόσμος ἐστίν*, eandem in iis inesse comparandi vim facile apparebit,

*) vid. Quaestt. Theocritt. III. p. 12.
**) Eodem modo in verbo *διαφαίνειν* et *διαφαίνεσθαι* (vss. 26.—28.) pulchritudinis simul et praestantiae significationem inesse vidimus (Quaestt. Theocritt. III. p. 14.).

si — quod fieri posse nemo negabit — etiam *ἀρούρᾳ* et *κάπῳ* et *ἅρματι* cogitemus posita esse pro iis, quae tanta cum arvo et horto et curru juncta sunt necessitudine, ut separari ab iis nec re nec cogitatione queant. Sicut igitur *Λακεδαίμονα* puellarum Spartanarum denominationem esse putamus, ita *ἅρμα* intelligimus *equos, qui currui solent jungi, κᾶπον arbores in horto plantatas, πίειραν ἄρουραν**) *segetes in pingui arvo laetius efflorescentes*, totiusque loci hanc nobis imaginem effingimus: Ut magna cupressus alte surgens decori est pingui arvo aut horto, ut currui Thessalus equus, sic rosea Helena Spartae est decus, i. e. *ut procera cupressus in pingui arvo laetas (altas) segetes aut in horto (ceteras) arbores magnitudine superat, aut ut Thessalus equus in certaminibus curulibus (alios omnes) vincit equos, sic etiam pulchra Helena (magnitudine et celeritate) inter omnes eminet Spartae puellas.* Quae quidem comparatio triplicem mihi habere videtur commendationem. Primum enim, ut est facillima, ita imagines exhibet aptissimas ad praestantiam Helenae laudandam; deinde cum ea comparandi ratione, quam initurum se esse poëta ipse vs. 25. indicavit et in reliquis quoque secutus est, optime congruit; denique membrorum concinnitatem et aequabilitatem servat quam maxime.

De singulis verbis non est, quod addam iis, quae a viris doctis jam observata sunt. Nam quod nonnulli dubitaverunt, an *κυπάρισσος* cum *ἀρούρᾳ* conveniat**), et Meinekius asseveravit***) et ego aliquoties audivi ex iis, qui terras illas perlustraverunt, cupressos ibi etiam extra hortos in agris haud raro gigni et insigne regioni decus afferre. Quod autem, qui Eichstadii *μέγα λαῖον* repudiaverim, a *lacta segete* ipse non abstineam, quia diversa est ratio, non vereor, ne ob eam rem pugnare mecum cuiquam videar.

---

*) Apud Homer. *πίονα ἔργα*, Odyss. 4, 318. all. *πίονας ἀγρούς*, Odyss. 4, 757.

**) cf. Ahrens. Emendatt. p. 25.

***) Anott. ad h. l. in ed. maj. p. 324.
